

BELGIVM.

313

si id occasio postulet nec patriæ soli adstringuntur. Quæ sane res utilissima & commodissima est: hæ enim affinitates & ipsis & Reipub. non patum conducunt. Indecens autem est, imo absurdum videtur, Adolescentes vetulas, Senes contra puellas ducere: iterum ignobilem nobili, Herum ancillæ, Dominam famulo matrimonio jungi. In primis vero Belgæ dediti sunt artibus Mechanicis, non sordidis quidein & servilibus, sed nobilioribus: panni contexendi, lanificia & telas tractandi, aulæa tapetiaque conficiendi: quæ non tantum propriis regionis usibus inserviant: sed etiam ulterius in Galliam, Hispaniam, Germaniam, reliquamque Europam, atque adeo in Asiam & Africam deportentur. In Picturis nulla æque natio excellit: nulla in Musicis: nulla in variarum linguarum cognitione acquirenda. Oleo colores miscere primus docuit *Ioannes Eickius Belgæ*. Vix est quisquam in Flandria, Brabantia, Zelandia, qui non & vernacula, hoc est Germaniæ Inferioris lingua loqui possit, & Gallica: Nautæ, Mercatores, & Viri litterati, etiam Italiam, Hispaniam, Latinam, Græcam plerique norunt: sunt etiam qui Hœbraicam, Chaldaicam, Arabicam. Rei etiam navalis Belgæ peritissimi sunt. Ad victum venio; Vsus est apud Belgas Tritici, Secalis, Avenæ, Fartis & Hordei. Legumina, præter Fabas & Pisa, non sunt magni momenti: Viciae quoque parum habent, Panici & Milii nihil. Venti enim vehementiores a sternunt & derubant. Sobrie ac frugaliter vulgus familiam educare solet. Potus fere est Cervisia, quæ conficitur decoquiturque ex ea quam *Maltam* vocamus: inde adjicitur postea triticeum far mola fractum, cum luppo salistariori. Atque hic potus bonus & sanus iis est, qui se ei adsuefacere possunt. Multum quoque bibunt latæ. Opulentiores Vino utuntur. Panæ vulgo vescuntur secalitio. Solent etiam veluti festis præcipuis, in primis nomine ipsorum indigatis, item Bacchanalibus, convivia instruere, parentes, consanguineos, & amicos invitare, & cum eis pollucibiliter cominessari: natura enim amant oblationes, epulas & convivia. Potentiores vero splendide & magnifice epulantur, sequè vere magnanimos ostendunt. Nitidas & absteras conservant domos, ab omni supellestile, & quidem commodissima, instructas, ita ut merito in iis nihil desiderari possit. Et certe pulchrum & gratum habet aspectum ista bene ordinata, munda & copiosa supellex: qua in re fortassis simo sine dubio omnes totius Mundi nationes facile superant. Hoc autem habent Belgæ vitii, ut potu se nimio ingurgitent, quo maxime delectantur: ita ut saepe nec interdiu nec noctu bibendi finem facientes, præter incommoda reliqua, maximo corpus & ingenium adficiant incommodo: idque sine dubio illis immaturæ saepe mortis adfert causam, juxta illud Prop.

Vino forma perit, Vino corruptur atq; Et ipsi id quoque norunt, fatentur, & seipso reprehendunt: sed quid agas? vincit mala consuetudo. Quamvis aliquo modo possint excusari. Cum enim humidus & melancholicus fere semper sit aë: nulla forte re alia melancholia isti odiosæ, & sanitati infestissimæ mederi possent, quod Horatius indicasse videtur, inquiens: Vino pellite curas. Istud tamen Terentii nobile quoque dictum servarent: Ne quid nimis. Quod quidem ab omnibus, honestioris existimationis & conditionis viris fieri jam ceperit. Incole scito commodoq; sunt vestitu, & pulcre formato. Magnam deniq; & copiosam exercent Mercaturam, cuius quæcunq; etiæ ea sit, petitissimi sunt. Atq; ipsa Belgica, maxima parte, Metcatura & artibus nititur.

*Opificia:**Victus:**Vestitus:**Mercatoria:*

R t

Flandrie